



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.  
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam  
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118669**

§. 14. Arcana mandata Pontificio in Gallis Legato data.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1542.

§. XIII.

*Papa his rationibus expugnatus, Cardinalique Romam venire concedens.*

*Thuan. &  
Davil, l. c.*

Hæ rationes cum magna energia expolitæ apud Papam tantum valere, ut a Venetorum Oratore de pluribus, quos antea ignorabat, rerum eventibus certior factus in pristino firmaretur proposito, quo censebat, hoc negotium non nisi cum maxima moderatione pertractandum, totoque studio in id incumbendum, ut Navarræ Regis reconciliatio promoveretur, id etiam exigente ipso Sedis Apostolicæ honore: eapropter Gondio Cardinali Romam venire concessit, ea tamen lege, ut nec hæreticis, eorumque fautoribus in occulto faveret, & ante omnia de contempto Gregorii XIV. cujus rei causa infimulatus fuerat, mandato in fœderatorum favorem edito satisfaceret.

§. XIV.

*Arcana mandata Pontificio in Gallias Legato data.*

*Davil. l. 13*

Sub idem tempus Clemens VIII. ad Cardinalem Legatum ablegabat Hieronymum Agucchium Protonotarium Apostolicum, qui eundem de Pontificis voluntate certiores faceret: igitur  
hic



hic Deputatus Legato præcipere jubebatur, ut summa dexteritate, & prudentia hoc in negotio uteretur, ne animos irritaret, proin sedulo caveret, ut non quicquam violenter in Ordinum comitiis ageretur, sed potius plena libertas suffragantibus relinqueretur: nullo autem pacto turbidæ indolis Regem, qui forte potius denuo accendendis, quam extinguendis, sedandisque belli flammis intentus esset, eligi permetteret, omnesque injurias, atque offensiones cohibere curaret, necnon inter proposita media illud seligeret, quod ceteris magis expeditum, tutum, minus novitatis suspitioni obnoxium, atque ad procurandam pacem magis idoneum censebit: nunquam nimis difficilem sese exhiberet, sed circumspecte temporis, rerumque vicissitudini cederet in iis, quæ salva æquitate indulgeri possent: præprimis Religionem sartam conservari satageret, fideique bonum omnibus aliis rebus, quæ non ad illius conservationem, atque augmentum tendunt, præferret. Denique sibi persuasum haberet, quod hoc negotium tanti sit momenti, ut nunquam satis mature ponderari, atque discuti valeat, ne ex præcipiti consilio, vel speciosis, veroque similibus rationibus ea decernantur, quæ nec animarum salutem, nec Dei

Sæcul. XVI.

A.C. 1592.



Sæcul. XVI.  
A. C. 1592  
obsequium respiciunt. Demum Pontifex cuncta Legati sui prudentiæ committens, hæc monita sat efficacia censebat, adeo, ut tunc, si ea accurate exequeretur, sperandum foret, quod totum negotium non sine Religionis, Regniq[ue] emolumento perfici posset.

## §. XV.

*Legatus ab Hispanis præoccupatus.*

*Davila l. 13.* Pontifex bona de suo Legato opinione nimium præventus erat; cum tamen hic ab Hispanorum nutu pendens quondam horum opera ad summum Pontificatum se promotum iri speraret, hinc hæc Papæ monita flocci habebat, atque pia Clementis VIII. consilia adeo non prompta secundabat executione, ut potius omnem in eo sollicitudinem impenderet, quatenus Hispanorum consiliis optatus adspiraret successus: unde ob illius agendi rationem dissensiones, ac tumultus augebantur, nilque minus, quam tranquillitas, paxque eidem adeo sincere commendata procurabatur.

## §. XVI.

*Rothomagensis Senatus edictum adversus Henricum IV.*

*Thu. l. 102.*  
*Mem. p. 67.* Hoc item anno die vigesima Januarii Normaniæ Senatus severum edictum